



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In  
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij  
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

**Peñafiel, Alonso**

**Lugduni, M.DC.LXXIIX.**

Qvæstio IX. Quid sit relatio ut sic, & quomodo definitur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

potest separari relatio, ita vt maneat sine subiecto: ergo non est res; sed modus, quia nullum praedicatum reperitur, in quo distinguatur modus a re, nisi in hoc, quod res potest conservari divinitus sine subiecto, vel alia entitate a se distincta realiter; modus autem non potest illo modo separatus conservari, cuius est modus.

16 Ultimo relatio praedicamentalis consistit in actuali exercitio inferendi fundamentum ad terminum; sed modus consistit, in actuali exercitio: ergo relatio est modus, & non res: maior est certa, quia relatio est respectus, ordo, seu referentia fundamenti ad terminum; sed respectus, ordo, seu ordinatio, & referentia sunt actuale exercitium: ergo relatio cuius esse consistit in respectu, seu respicientia, ordine, seu ordinatione, & in referentia consistit in actuali exercitio. Minor illa sic probatur, quia omnis potentia habet suum actuale exercitium; sed posse respicere, posse ordinare, & posse referre sunt potentiae; ergo habent suum actuale exercitium; atqui non potest esse aliud actuale exercitium posse respicere, nisi respicere, seu respicientia, aut respectus, & nullum aliud actuale exercitium potest assignari posse ordinare, nisi ordinatio: ergo ordinatio, referentia, & respectus, seu relatio consistit in actuali exercitio.

17 Vergetur, quia propria, & accommodata ratio productionis modi est per resultantiam, vt videre est in figura, vbi, &c. sed relatio producitur per resultantiam, vt patet ex illo axioma posito fundamento, & termino resultat relatio; ergo relatio est modus.

18 Tandem confirmatur, non est necessarium ad hoc vt exerceat munus relationis, quod consistit in referre, vt sit res: sed solum sufficit vt sit modus; ergo debet esse talis, antecedens sic probatur, quia relatio habet suum esse in actuali exercitio constitutum vt supra probavi, non enim aliud munus habet relatio, vt patet ex Aristotele, nisi habere totum suum esse ad terminum pene recipiendo: ergo habet rationem modi, & rei.

### SECTIO III.

*Ultima argumenta adversaria solvuntur.*

19 Ad locum Divi Thomae Respondeo minime ex verbis Angelici Doctoris posse colligi, si recte intelligantur relationem esse rem; nam relationem ipsam, nunquam dixit esse aliam rem; sed fundamentum nomine rei appellavit, quod nos libenter admittimus, certum enim est fundamentum relationis esse rem distinctam a modo relationis, quod clarissime patet ex illius verbis, quae sic se habent, nam id quod invenitur in creatura, praeter id quod continetur sub significatione nominis relati est alia res, hoc est praeter relationem, vel praeter id quod nomine relationis significamus, quod nihil aliud est quam fundamentum relationis, est alia res a relatione, ac si diceret fundamentum est distincta res a relatione quae modus est.

Ecce quomodo ex loco Divi Thomae male intellecto ab adversariis, ideoque pro se adducto, nostra confirmatur, ac roboratur sententia.

Ad secundum nego maiorem, relatio enim non est accidens reale; sed modus accidentalis, realis, & in hoc sensu concedimus suo modo inherere relationem, seu adherere in fundamento, sicut inest figura quantitati, & vbi praesenti. Deinde negatur illa secunda consequentia, ergo realiter, &c. ad probationem illius nego inexistenciam seu inherenciam accidentis distinguui realiter ab existentia substantiae, nam inherencia est modus, & modus non distinguuitur a re cuius est modus realiter; si autem pro inexistencia accidentis intelligat adversarius existentiam realem accidentis concedo realiter distinguui a substantia, ex quo non sequitur relationem distinguui realiter, quia non habet existentiam realem, sed modalem.

Ad tertium concedo antecedens, & consequens; Deinde negatur consequentia illa: ergo distinguuntur, &c. a principio usque ad finem, falsa est, & vt talis refellitur.

### QVÆSTIO IX.

*Quid sit relatio vt sic, & quomodo definiatur.*

**D**ATA opera in hunc locum remissi definitionem relationis post tota quaestiones agitatae, vt per particulas illius quasi per cristallinas, aut oniechinas crustas non impactu vngue perlabamur, recte enim declaratio essentiae relationis, a recta dictarum quaestionum resolutione pendet, quibus enodatis, enucleatisque, facile enodabitur definitio relationis, quae vel potest sumi vniuersalissime, prout comprehendit relationem praedicamentalem, & transcendentalem, & secundum dici, vel prout solum hoc praedicamentum constituit vniuersalissime sumpta, sic definitur ab Aristotele in hoc praedicamento, & lib. 5. metaphysicae, quae potius ex mente antiquorum Philosophorum, quam ex propria videtur proficisci, & vt ait Averroes ex mente Platonis ad aliquid talia dicuntur quaecunque haec ipsa quae sunt aliorum esse dicuntur, quomodolibet alter ad alterum, id est relativa sunt, quae habent suum esse ad aliud, aut tanquam ad pure terminum, vt pater respicit genitum, aut quomodolibet alter ad alterum, id est non solum vt pure terminum, sed quocunque alio modo ad aliud refertur, sive tanquam ad subiectum, sive tanquam ad obiectum, sive tanquam ad effectum causam, vt accidens dicit ordinem ad aliud tanquam ad subiectum habitus, tanquam ad obiectum creatura ad Deum, tanquam ad causam efficientem a qua producitur.

Item illa particula quomodolibet indicat hic definiti non solum propriam habitudinem; sed etiam connexionem vnius cum altero explicatam per modum relationis, quae quomodocunque relatio dicitur.

Sic definita relatio vniuersaliter dividitur in relationem

relationem secundum esse, & secundum dici; relatio secundum esse dicitur quæ re vera habet proprium esse cum habitudine ad aliud; ut relatio quæ datur in scientia respectu sui obiecti vocatur relatio secundum esse, id est relatio, quæ proprie talis est secundum suam entitatem.

4 Relatio secundum dici, definiri solet quod sit res, quæ concipitur, explicaturque per modum respectus, cum in re ipsa verum respectum non habeat, quæ potius descriptio, quam definitio est, ideo enim secundum dici dicitur, quia hæc relatio in dici, vel in explicari tantum relatio est, id est quia dicitur & explicatur, ac si esset relatio, & per modum relationis, vel relatio secundum dici nominatur, & hoc provenit ex imperfecto modo nostro concipiendi, & explicandi, nam cum aliqua absoluta non possumus explicare ut in se sunt, ea explicamus ac si essent relativa propter aliquam connexionem quam habent cum alijs, v. g. omnipotentia Dei, quæ absoluta ab omni respectu ad creaturas, quia tamen habet connexionem necessariam cum creaturis possibilibus, & non possumus illam, ac si relativa esset, & relationem, seu respectum diceret ad creaturas, quia autem talis connexio non est vere relatio, & explicatur per modum relationis, secundum dici, id est, secundum loquutionem, aut secundum modum loquendi relatio dicitur, ac nominatur. Aliiter explicatur ab aliquibus hoc modo, tunc enim datur in aliquo, aut relatio secundum dici, quando intellectus explicat illud per similitudinem ad aliud, cuius habet propriam speciem, ut quando explicat intellectus Angelum per inveniem pulchrum, tunc Angelus, seu res illa dicit relationem, secundum dici ad rem illam materialem, non quia duæ illæ res se respiciant per vnos respectus, sed quia quod non aliter potest explicari ut in se est, explicatur per similitudinem ad illam, & idem est quando volumus explicare velocitatem Angeli, & illam explicamus per alas, hæc relatio non est formaliter in obiecto intrinsece, sed formaliter est in actu intellectus cognoscente rem absolutam ad modum relativæ.

Alij autem universaliter asserunt, relationem secundum dici esse relationem rationis, quod falsum reputo; nam aliud est ad explicandam relationem secundum dici, uti relationem rationis, & fingere illam, aliud est ipsam relationem secundum dici esse relationem rationis, verum enim est medium ad relationem secundum dici esse ens relativum rationis fictum, falsum autem, ipsam rem quam relationem secundum dici nominamus esse relationem rationis, relatio enim secundum dici est connexio realis omnipotentia ad creaturas explicata per ens rationis fictum; unde sicut falso diceret aliquis, qui assereret velocitatem Angeli esse ens rationis, quia explicatur per tale ens, sic similiter falso diceret, qui asseruerit relationem secundum dici esse relationem rationis, quia explicatur fingendo ens rationis; quare absolute dicendum est, relationem secundum dici, nihil aliud esse nisi connexionem realem explicatam ad modum relationis, fingendo illam per rationem, ut explicetur illa connexio, quæ explicatio conformis est menti Divi Thomæ, qui relationem secundum dici semper ac de illa agit, segregat relationem

rationis, imo relatio rationis non secundum dici, sed secundum esse ab ipso Doctore appellatur.

Relatio realis secundum esse dividitur in transcendentalem, & prædicamentalem, quæ divisio, ut optime adnotat Pater Suarez, habet fundamentum in Aristotele in hoc capite, ubi tradit utriusque relationis definitionem, maximeque necessaria est talis divisio tam ad metaphysicam, quam ad sacram Theologiam, ubi de Divinis relationibus agitur, inter quas quædam possunt transcendentales appellari, quia constituunt substantialiter tres Divinas personas, ut sunt relationes paternitatis, filiationis, & spirationis passivæ, à qua Spiritus sanctus in suo esse personali constituitur, quædam vero prædicamentales, seu ut melius loquar ad modum prædicamentorum nominari potest, quia convenit personis iam constitutis in esse tam essentiali, quam personali, in quo relationi prædicamentali assimilatur, quæ advenit fundamentis iam plene in suo esse constitutis, tandem maxime necessaria est hæc divisio ad concipiendum quod sit proprie relatio, quæ hoc prædicamentum constituit.

Relatio transcendentalis est respectus, qui ita transcendit essentiam cuius est, ut sine eo nec esse, nec concipi possit: melius. Relatio transcendentalis est respectus essentialiter constitutus rem, v. g. in scientia creata datur relatio transcendentalis, quia talis scientia essentialiter constituitur vera, & propria habitudine ad obiectum, & idem potest dici de potentia & hanc relationem tradidit Aristoteles, dum dixit: illa sunt ad aliquid, quæ id quod sunt aliorum esse, aut ad aliquid aliquo alio modo dicuntur, ubi illa particula, dicuntur, præsertim in usu Philosophorum frequenter usurpantur pro verbo essendi, ut ipsemet Arist. dixit, qualitatem esse, quæ quales quidem dicuntur, unde si in hoc sensu sumatur verbum illud, dicuntur, solum convenit relationibus transcendentibus; si autem particula illa, dicuntur, usurpetur, ut vult Pater Suarez cum rigore, & proprietate, & ideo sub disfunctione in illa definitione positum esse, & esse ad aliquid quæ finitione positum esse, vel aliquomodo id quod sunt aliorum sunt, ut indicetur non esse aliorum esse dicuntur, ut indicetur non esse de ratione relationis ut sic, quod sit ad aliud, sed ut sit, vel dicatur; tunc talis definitio non solum comprehendit relationes transcendentales, sed etiam secundum dici; nos autem, quia in primo sensu males continendi ea quæ ad aliquid sunt, sicut æqualitas, & similitudo exco dicuntur ad aliquid, quia æquale, & simile ad aliquid sunt. Denique alia dicuntur ad aliquid secundum accedens, scilicet subiectum ipsum relationis, ut homo, vel album dicitur ad aliquid, quia ei accidit esse duplum, vel simile. Hæc Aristoteles.

Hæc definitio Philosophi ad clariorem methodum sic reducitur à Patre Suarior. Est actus cuius totum suum esse est ad aliud: sed hæc definitio multas patitur difficultates in sententia ipsius. Prima est, quia non convenit omni definito, nam relatio immediata fundata in substantia identificatur cum illa, & sic est substantia realis; sed ista est vera relatio, & ipsi non competit definitio, cum substantia realis

non sit accidens: ergo non recte traditur illa definitio.

9 Dices illam relationem esse accidens prædicamentale.

10 Contra primo, quia vel accidens prædicamentale est verum, & proprium accidens reale, vel non. Si primum, non conuenit relationi fundatæ in substantia propter rationem dictam; si secundum, ergo in definitione relationis vt sic, ponitur vt genus, non verum nec proprium prædicatum, sed improprium, & metaphoricum: ergo tota definitio non est recta, sed impropria, sicut si definiens Deum dicerem Deus est ignis indigens, vel homo est arbor inuenta rationalis, quæ definitiones sunt malæ & imperfectæ, seu improprie, quia bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu; sed in dicta definitione illud prædicatum accidens non conuenit propriè relationi: ergo tota definitio est impropria, ac defectuosa.

11 Nec valet si dicas, ideo poni accidens quia concipitur per modum accidentis.

12 Contra, quia etiam Pater æternus concipitur per modum senis canitie plenum, & nihilominus non potest dici dum Pater æternus definiti vult, est senis canitie plenus, nam talis definitio esset impropria. Item impropria esset definitio Angeli, si diceretur est iuuenis alatus, maxima condecoratus pulchritudine, & nihilominus ad modum iuuenis sic concipitur Angelus: ergo perperam definitur relatio, dum dicitur est accidens ex eo solum quod ad modum accidentis cognoscitur.

13 Secundo contra, quia accidens prædicamentale est accidens reale, & physice, quia est accidens ex natura sua, accidens autem logicum tantum est accidens ratione nostra in modo prædicandi: sed relatio immediate fundata in substantia est substantia realiter, & substantia realis non potest esse accidens reale: ergo relatio immediate fundata in substantia non est accidens prædicamentale.

14 Tertio, quia actio qua educitur calor de potentia subiecti, est accidens, & habet totum suum esse ad producendum proprium terminum, & nihilominus non est relatio prædicamentalis: ergo illa definitio conuenit aliis à definito.

15 Definitio etiam Hurtado in eadem prima inconuenientia, quæ sic se habet. Relatio prædicamentalis est cuius totum esse est ad aliud accidentaliter adueniens immediato fundamento; ipse autem explicans particulam cuius, sic ait. Sumitur loco generis, id est accidens inquam extrinseca denominatio orta, ex coexistentia termini.

16 Contra quam particulam sic insurgo, nam in sententia Hurtado, Paternitas nihil aliud est, quam terminus generans, & terminus generatus, sed uterque terminus non est accidens; sed potius sunt duæ substantiæ. Patet consequentia, quia Petrus generans est homo, & Ioannes generatus etiam est homo & vnus, & alter homo, sunt duo homines, & duo homines sunt duæ substantiæ, & duæ

R.P. Ioseph. de Penafiel Theol. Schol. Tom. I.

substantiæ minime sunt accidens: ergo falso dicitur ab Hurtado perperamque definitur relatio dum dicitur cuius, id est, accidens. Declaratur, nam perperam definitur aliquis, qui definiens Trinitatem personarum Diuinarum diceret, est accidens, quia sunt tres substantiæ inter se ordinatæ: ergo similiter male definitur, qui definiens duas substantias creatas ordinatas inter se diceret esse accidens.

Secundo, quia etiam falso dicit in sua sententia dum explicans ait, id est extrinseca denominatio orta ex coexistentia termini; nam in sua sententia, primo relatio non est solum denominatio extrinseca, sed duæ intrinsece entitates termini, & fundamenti, nam ipse Hurtado ait relationem non distingui ab vtraque entitate; atqui denominatio extrinseca saltem distinguitur à parte rei à subiecto denominato: ergo male dicit relationem esse denominationem extrinsecam.

Tertio, illæ particulæ, accidentaliter adueniens immediato fundamento; multa contra ipsam sententiam Hurtado continent absurda ipsi contradicentia. Primo quia Hurtado ait *paragrapho vigesimo primo, disputat. decima quinta, sect. tertia*, igitur similitudo formaliter est idem cum fundamento, & termino, quæ verba nescio quomodo congruant cum verbis dictæ definitionis, nam fundamentum & terminus non possunt accidentaliter aduenire fundamento, alias idem sibi accidentaliter adueniret, nam dum dico fundamentum, & terminus, fundamentum dico inadæquate: ergo si fundamentum & terminus accidentaliter aduenit fundamento, fundamentum aduenit accidentaliter fundamento, vnde idem sibi accideret.

Vergetur, quia vt postea videbitur, ipse Hurtado asserit relationem in recto esse fundamentum, in obliquo dicere terminum; vnde absolute relatio est fundamentum: ergo si relatio aduenit accidentaliter fundamento sibi ipsi accidentaliter aduenit, quod est absurdum dignum tam indignæ sententiæ.

Deinde, quia totum non aduenit accidentaliter partibus, nam totum est finis per se intentus respectu vniuscuiusque partis; finis autem intrinsecus, & per se intentus non potest accidentaliter aduenire medio intrinseco, nam sicut falso, & ignoranter diceretur hoc, homo accidentaliter aduenit materiæ, aut formæ, à quibus essentialiter componitur, ita incongrue dicitur relationem accidentaliter aduenire fundamento, cum relatio nihil aliud sit, quam terminus, & fundamentum formaliter, præterea quia ad fundamentum non datur fundamentum, alias procederetur in infinitum: sed relatio est idem quod fundamentum in recto, & in obliquo terminus, vt ipse Hurtado ait §. 30. ergo relationi non datur fundamentum, quia idem non datur ad se ipsum: ergo relatio non aduenit accidentaliter fundamento.

Declaratur, quia sicut non possumus tribuere binario Angelorum subiecto, cui adueniat, qui binarius nihil aliud est, quam ipsi duo Angeli; sic similiter non possumus tribuere relationi

tem servi venerunt.

2.2. His opinionibus funditus labefactatis nostrę definitionis, dicimus, solum convenire transcendentalibus, in quibus relationibus, licet vřsurpemus hos terminos relatio scientię ad obiectũ, quibus indicari videtur distinctio relationis, ęre cuius est, nihilominus si recte hoc negotium ratione ponderetur, non possumus ratione absolute distinguere scientiam ę relatione, nec intellectum ę suo respectu transcendentali quem dicit ad intelligibile, quia cum tota essentia intellectus sit formaliter perceptiva obiecti, ę in hoc sita sit tota essentialis constitutio huius potentię, ac proinde essentialiter constituatur adęquate per ordinem ad obiectum adęquatum, ę specificatur ab illo; inde est vt non possit complete concipi intellectus sine tali ordine, quod ita aliqui intelligunt, vt dicant tantum differre grammaticaliter relationem transcendentelem, ę subiectum illius vt ens, ę entitas, alij autem dicunt differre sicut ens, ę pęrsitas; omnes autem probatores metaphysici conveniunt in hoc, vt relatio transcendentalis, ita sit de essentia rei cuius est relatio, vt transcendat, ę imbutur in essentia illius, ę hac de causa vocatur transcendentalis, nisi mavis cum alijs hoc nomine, ę appellatione insigniri, quia transcendit varias, ac fere omnia genera entium, prędicamentorumque, ac per illa omnia vagatur, ę sic ę prędicamentali distinguitur, quia hac ad certum aliquod prędicamentum limitatur, ę pertinet; distinguitur etiam ę relatione secundum dici, quia relatio secundum dici non requirit in se sic concepta, seu relative denominata veram, ę propriam aliquam habitudinem, quę ratione sui illi conveniat: sed tantum denominationem ex modo nostro concipiendi, ę loquendi, quod interdum contingit ex imperfectione nostrę conceptionis ( vt supra dixi ) ę locationis interdum ex eo quod res etiam cum perfectione conceptę cognosci non possunt sine concomitantia aliorum, etiam si illa alia sint extra essentiam rerum conceptarum, non propter habitudinem, ac dependentiam; sed propter altiore connexionem in ratione causę eminenter continentis suos effectus, vt omnipotentiar respectu creaturarum possibilitium, vel vt aiunt Theologi non posse Deum perfecte videri, aut comprehendi, quin in eo cognoscatur creaturę: item non potest cognosci anima rationalis, quę habet connexionem cum intellectu, ę cum actibus ratiocinandi, licet sit sine aliqua relatione.

In calce huius explicationis adverte, quod  
relatio transcendentalis vere relativum essen-  
tialiter constituit, nam si vera, & propria  
relatio est, & talis relatio essentialiter con-  
stituit rem: ergo res ab illa constituta vere,  
& realiter relativa transcendentaliter dicitur,  
vnde non potest talis res omnino absoluta di-  
ci, sicut Pater æternus, qui relatione tran-  
scendentali constituitur, non dicitur absoluta  
persona; sed respectiva, vnde tria genera  
entium reperiuntur, primum quod est omni-  
no absolutum, vt Deus, omnipotens, sub-  
stantia completa, secundum sua prædicata es-  
sentialia, &c. quæ quia nullo modo ordinan-  
tur ad aliquod extrinsecum, & quia ab ex-  
trinseco absolvuntur, absoluta dicuntur id  
est, omnino ab extrinseco soluta ex eo quod  
ordine, & habituendo ad ipsum sunt: cum-  
dem genus est eorum, quæ relativa essen-  
tialiter sunt, vt sunt potentie, actiones, & om-  
nia accidentia, & partes essentielles, & ma-  
teria, & forma, & hæc minime absoluta  
simpliciter nuncupantur, nam si essentialiter sunt  
relativa: ergo essentialiter non sunt non re-  
lativa, vt sunt absoluta, sicut, quia homo  
essentialiter est rationalis, non potest non esse  
non rationalis; imo nec accidentaliter pos-  
sunt dici absoluta, si absolutum sit id quod  
dicit negationem relationis, nam casualiter  
non convenit aliquid prædicatum, nec per-  
accidens potest carere illo, solum enim po-  
test tale ens dici absolutum prædicamentali-  
ter, si careat relatione prædicamentali, nam  
licet sit relativum transcendente, bene po-  
test absolvi à respectu prædicamentali, & in  
hoc sensu solet dici communiter à Divo Tho-  
ma, eiusque Sectatoribus relationem tran-  
scendentem non extrahere ab absolutis, nam  
quod relatio prædicamentalis si purus respec-  
tus, & non datur à natura ad aliud minus,  
nisi vt sit pura ratio respiciendi terminum,  
vt pure terminum, quod non habet tran-  
scendentis, cum non solum respectus sed con-  
stituit, verbi gratia, potentiam in ratione  
intellectus potentis percipere obiectum, inde  
est vt relatio prædicamentalis absolute relati-  
tio dicatur, & quod à tali relatione abso-  
luti dicitur, licet transcendentali respectu con-  
stituatur, solet dici absolutum, & non extra-  
tuum ab absolutis relatione transcendentali.  
Tertium genus entis est, quod pure respec-  
tivum dicitur, nempe, quia relatione præ-  
dicamentali constituitur, quæ per Anomalia-  
m relatio dicitur, quæ quantum hoc prædi-  
camentum constituit, de ipsique in præsent con-  
troversit, vt est pare, simile, causa, &c. quæ  
adventitia soluta manet quæstio, an aliqua re-  
latio sit de essentia absoluti inter Thomistas, &  
Scotistas ventilata, oppugnataque ac propo-  
nata.